

onem, qui fillukum Gen. XIV, 18. urferat, removeret. Quoni-  
 am vero Hackspanii sententia vera, longaue locorum ferie firma-  
 ta est, ut nec ipsi Pontificii habeant, quod regerant, non compe-  
 tit Frankio, novo illi inter Cyclopes fideri, ut inter Bellarminum  
 & Hackspanium judicem agat, & Hackspanio aliam sententiam  
 ex ignorantia affingat. Quod enim Hackspan. vim distinctivam  
 accentuum non neget, patet ex not. Ph. P. I. p. 376. seq. Quo facto,  
 consensus sui & beneficii accepti immemor Franckius calcibus  
 petit benefactorem & morticitus proscindit Censorem, omnium-  
 que Sycophantarum impudentiam supergreditur. Porro con-  
 questus est Frankius, quod dissertatio in Jes. IX, 5. jam antea  
 impressa, & mysteriorum abyssus adpellata, in fine non adjecta sit.  
 Sed scias, mi Franki, bibliopolas sumtus non profundere, nec  
 dissertationes, quarum copia prostat, quæque nullos emtores in-  
 veniunt, recudere. Bibliopolæ nostri Eruditis inservire student,  
 nec cujusvis stupidi hominis ineptias imprimunt. In ea enim  
 dissertatione mera somnia vendis, & Salvatori nostro titulos a  
 Jesaia datos non sine blasphemia rapis, interpretes, Commentato-  
 res & Criticos tibi non cæco ad sensu applaudentes contemnis,  
 teque primum quorundam mysteriorum inventorem jactas, &  
 Eruditis infani hominis Spectaculum præbes. Quod præterea  
 Frankius clamitat, mancam & mutilam esse Diacriticam a capite  
 usque ad calcem, magnum & impudens est mendacium, ejus MSt.  
 eum hujus atrocis nequitia convincit.

§. I.

**I**n primis dolendum, quod audax ille & ventosus homo di-  
 ctum Jes. IX, 5. (6) de Salvatore prolatum in perversum & in-  
 juriosum sensum traxerit. Verterat Cl. Vir hoc dictum in dis-  
 sertatione:

*Nam puer natus est nobis, filius datus est nobis. Et appellabi-  
 tur nomen ejus mirabilis, consiliarius Deus fortis, pater æ-  
 ternitatis, princeps pacis.*

Quam versionem universa Ecclesia Christiana cum celeberrimis  
 interpretibus recepit, & contra Judæos firmis rationibus propugnavit.  
 Deposuit vero pastor Frankius & Criticis & commentatoribus infensus,  
 primus est, qui eam im-  
 pu-